

in questione LXXX, articulo primo ad primum. Et sic conciliantur loca D. Thomæ, qui aliquando negat justitiam commutativam Deo, et ponit distributivam, aliquando vero commutativam videtur ponere, quia videlicet servatur modus illius, licet actus formaliter sit justitiæ distributivæ. Et ratio est, quia si in merito attendamus non ad ipsas personas merentem et præmiantem, sed ad ipsas res, scilicet meritum quod offertur, et præmium quod retribuitur, est inter ipsas æqualis valor, quia sunt res ejusdem ordinis, et dignitatis; et charitas in via, et in patria ejusdem speciei. Unde in Scriptura assimilatur adeptio gloriæ emptioni, ut Matthæi XIII assimilatur cælum emptioni margaritæ, et Matthæi XXV negotiationi talentorum; quæ omnia modum justitiæ commutativæ important.

XVI. Ac denique unicuique Deus reddit præmium perinde ac si illi soli sine comparatione ad alios conferret, quia dat unicuique juxta opera sua, non uni tantum pro omnibus: ergo servat modum justitiæ commutativæ dans unicuique pretium laboris sui simul et præmium, ita quod in quantum ponderat eujuscumque laborem cum denario recipiendo modum pretii observat, in quantum vero proportionem, et dignitatem considerat, ut universa præmia juxta diversam dignitatem, et communibus bonis beatitudinis conferat, rationem distributivæ servat.

XVII. Denique quod non sit propria, et formalis justitia commutativa inter Deum et homines, ut ponebat pater Suarez, constabit assignando imperfectionem, quam intrinsece importat justitia commutativa respectu Dei. Et multis aliis omissis dico imperfectionem intrinsecam in eo consistere, quod obligatio justitiæ commutativæ nascitur

in uno ex jure alterius secundum æqualitatem: unde uterque comparatur ad alterum ut persona particularis, et ex æquo obligata, quod non currit in obligatione justitiæ distributivæ, quæ non oritur in distribuente ex jure inferiorum, quia non habent jus in re ad bona distribuenda, sed jus ad rem, juxta proportionem dignitatis eujuscumque. Et hinc est quod malus distributor non tenetur ad restitutionem beneficii male collati propter jus inferioris, sed propter obligationem quam habet ad Ecclesiam, vel communitatem cum qua habet pactum tamquam ejus minister de recta distributione facienda. At vero Deus non potest induere obligationem ortam ex jure inferiorum ad se, neque ex pacto cum communitate, cujus sit minister, cum sit Dominus omnium; ergo repugnat Deo formalis ratio justitiæ commutativæ, sicut repugnat quod comparetur ad aliquam creaturam ut æqualis in pacto, vel commutatione, et quod jus creaturæ, in quantum creaturæ est, obligationem in eo judicat. Quod si ex sua voluntate, et ordinatione vult Deus se constituere debitorem, non pertinebit ad obligationem justitiæ commutativæ in quantum oritur ex promissione, et pacto Dei, sed in quantum causatur ex ipsa commutatione, vel actione creaturæ erga Deum, quod fieri non potest, cum a creatura nulla actio causetur erga Deum, nisi prius ab ipso Deo participetur, et descendat; ergo tota ratio obligationis ex Deo derivatur, non ex ipsa creatura, et ideo tota obligatio erit circa distributionem, quia hæc non oritur ex jure inferioris, vel ex jure alterius, sed ex ipsa ordinatione distribuentis circa bonum commune, quæ in inferioribus gubernatoribus est ordinatio illis imposita per legem naturalem, vel pactum cum ipsa communitate;

in Deo autem qui est supremus gubernator non est ordinatio ista imposita ab alio, sed ex propria voluntate descendens, et nullo modo mediante jure alterius orta, quod requirit justitia commutativa.

XVIII. Ad fundamenta patris Suarez constat ex dictis. Ad primum, quod illa conditio importat imperfectionem intrinsecam in justitia commutativa, quæ ponit obligationem in uno ortam ex jure alieno; et non evacuat inconveniens dicere, quod oriatur hæc obligatio ex ordinatione divina, quia licet detur ordinatio divina ad faciendum contractum, vel commutationem cum creatura, sicut etiam nos voluntarie facimus contractus, et commutationes, tamen obligatio ipsa non voluntarie oritur, sed mediante jure alterius sine ejus præjudicio non potest contractus dissolvi: nasci autem obligationem in Deo ex suppositione juris alieni tamquam ex causa, imperfectio intrinseca est.

XIX. Ad secundum respondetur, quod modus justitiæ commutativæ salvatur in duobus. Primum, quod inter ipsas res servatur æqualitas, licet non in debito personarum, secundum quod recompensatur meritum, etiam non habita comparatione ad alios, sed propter absolutum valorem, quem habet, in quo induit rationem pretii, quod pertinet ad modum justitiæ commutativæ; ipsum autem debitum, et obligatio formalis justitiæ commutativæ quatenus oritur ex jure alieno in altero contrahentium non potest salvari respectu Dei, et ideo absolute non habet justitiam commutativam, sed quemdam modum illius.

XX. Ad ultimum de satisfactione Christi Domini respondetur multos negare hanc justitiam commutativam in Christo respectu Dei, contra quos non currit argumentum. Qui vero talem justitiam commutativam

Christo Domino tribuunt non admittunt illam nisi tantum ex parte æqualitatis rerum, quatenus reddit Christus satisfactionem æqualem pro injuria peccati, non tamen ex parte debiti, et obligationis personarum, quod ex sola positione actus nascatur debitum, et obligatio in Deo, et non ex ipsa ordinatione voluntatis ejus.

SEQUITUR EXPLICATIO LITTERÆ
D. THOMÆ.

In articulo quarto inquit sanctus doctor utrum gratia sit principium meriti principaliter per charitatem, quam per alias virtutes. Respondet unica conclusione: Meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundum quod earum actus a charitate imperantur.

DISPUTATIO XXX.

DE PRINCIPIO MERITI AD VITAM ÆTERNAM.

Dari in nobis principium ordinatum, et proportionatum ad merendum vitam æternam absolute docet fides, quæ attribuit bonis operibus justorum vitam æternam, ut videre est in Tridentino sessione VI, capite XVI, et canone XXIX. Et quod hoc meritum sit de condigno deducitur ex Scriptura, quæ gloriam ipsam appellat mercedem, coronam, et bravium, et aperte dignitatem tribuit operibus respectu vitæ æternæ, ut II ad Thessalon. I: *Ut digni habeamini regno Dei*: et Apocal. III: *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt*: et Sapient. V: *Deus tentavit eos, et invenit dignos se*. Et quia

(ut in præcedenti diximus) ad meritum requiritur principium dignificans, quod est gratia justificationis, restat hic inquirendum de principio influente in ipsas actiones meritorias, quod est charitas, qua homo per dilectionem operatur. Et licet etiam concurrant merita Christi ad omne meritum nostrum, tamen id habent quatenus merentur nobis gratiam, et virtutes, et reliqua auxilia ad merendum. De ipsa autem charitate, quæ cum virtutibus principium meriti constituit, illa tantum difficultas se offert disputanda, an requiratur ad meritum in actibus actualis, vel virtualis motus charitatis influens in talia opera; an vero sufficiat habitum charitatis poni in subjecto, et opera bona elici sine aliquo influxu charitatis virtuali, vel formali.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum requiratur aliquis influxus, vel motus charitatis, virtualis, vel formalis, ut actus sint meritorii?

I. Loquimur de actibus qui fiunt ex bono motivo et fine, sed non ex motivo charitatis; et de illis inquiremus, an sine tali motivo sit meritorii per hoc solum quod habitus charitatis, et gratiæ sint in subjecto: et si requiratur influxus charitatis saltem virtualis, quanto tempore censeatur durare illa virtualis intentio, ut dicatur moraliter efficere actus nostros.

II. Circa primum est duplex sententia principalis. Prima affirmat actus bonos in homine justo, licet non procedant ab imperio charitatis etiam virtuali, sed solum supponant habitum illius in subjecto, mereri vitam æternam. Hæc tribui solet magistro Soto libro III de natura et gratia, capite IV; Capreolo, aliis-

que Thomistis. Sed si attente legatur Soto non loquitur de operibus solum habitualiter a gratia formatis, omni motione charitatis tam actuali quam virtuali remota, cum requirat ad opus meritorium, quod procedat a gratia, et aliquis se, et omnia sua saltem virtualiter referat in Deum, et addit se non approbare distinctionem eorum, qui dicunt opus procedere ab illo, qui est in gratia, sed non ex gratia, nam virtualiter inquit tale opus ex gratia proficiscitur. Immerito ergo pro hac sententia citatur Sotus.

III. Hanc ergo sententiam docet pater Vazquez II tomo, disputatione CXXVII per totam, et aliqui recentiores, qui existimant opus moraliter bonum, licet procedat ex auxilio ordinis naturalis in justo, quod tamen datur modo supernaturali quatenus datur per Christum supra debitum humanæ industriæ, et in ordine ad finem supernaturalem, id est, vitam æternam, esse meritorium illius. Et fundatur pater Vazquez in pluribus auctoritatibus ex Scriptura, et patribus accumulatis, et etiam in ratione. Ex Scriptura multa sunt, quæ significant Deum, quodcumque opus bonum remuneratum remuneratione vitæ æternæ, ut dum dicitur Matthæi XII: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, hic meus frater, et soror, et mater est*: et Matthæi X: *Qui dederit potum aquæ frigidæ tantum, non perdet mercedem suam*: et cap. XXV: *Esurivi, et dedistis mihi manducare, etc.* ubi numerantur opera misericordiæ, quæ utique sunt virtutis acquisitæ, et tamen propter illa præmiantur justis regno cælorum: et Lucæ X dicitur: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata*: ergo observationi mandatorum secundum se redditur vita æterna et non solum ratione charitatis imperantis: denique Proverb. XIV dicitur: *Qui calumniatur egentem, exprobrat fac-*

tori ejus, honorat autem qui misereatur pauperi. Si ergo in misericordia pauperis honoratur Deus, tale opus misericordiæ meritorium est.

IV. Ex Tridentino sessione VI, capite X, ubi dicitur: « Quod justis per observantiam mandatorum Dei, et Ecclesiæ in ipsa justitia per Christum accepta crescunt cooperante fide, et bonis operibus. » Ubi nulla fit mentio imperii charitatis, et sic sine fundamento exigitur tamquam necessarium. Et capite XVI docet: « Quod cum ipse Christus jugiter in ipsos justificatos virtutem influat, quæ bonæ eorum opera antecedit, concomitatur, et subsequitur, nihil ipsis deesse, credendum est, quominus bonis operibus in Deo factis vitam æternam promeruisse dicatur. » Sed illa virtus quam jugiter influit Christus non est auxilium actuale, sed habitualis gratia, quia actuale auxilium non jugiter infunditur a Christo, sicut influit, et conservat gratiam in justis; ergo posita ista, etiam remoto imperio charitatis, nihil deest operibus bonis quominus meritoria sint. Ac denique sessione XIV, capite VIII, dicitur: « Quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu conformamur. » Sed constat nos satisfacere per opera peccata bona etiam si a charitate non imperentur; ergo etiam per illa meremur, quia per illa conformamur Christo, quatenus satisfacimus; per conformationem autem ad Christum meremur.

V. Tertio arguitur ratione, quia hoc imperium charitatis vel requiritur ut ratio formalis meriti, vel ut conditio requisita. Si primum, sequitur solam charitatem esse meritoriam, et nullo modo actus aliarum virtutum, si quidem ratio formalis meriti in sola charitate consisteret, et sic frustra juberemur exerceri in aliis bonis operibus, cum tamen dicatur I ad Corinth. XV:

Abundate in omni opere bono, ergo etiam bonis operibus, ut talia sunt, debetur merces vitæ æternæ: si autem imperium charitatis solum est conditio requisita ad meritum jam erga bona opera ex se habent valorem meritorium, et dignitatem supposito statu gratiæ, ergo etiam si desit imperium charitatis non fraudabuntur præmio, quod ab intrinseco merentur, et sine fundamento etiam talis conditio exigitur.

VI. Confirmatur, quia si illud imperium charitatis ad finem necessarium esset ad meritum, multa opera bona fraudarentur præmio æterno, etiam opera fidei, et spei, et virtutum infusarum, hæc enim frequentissime fiunt sine affectu charitatis, et major pars fidelium, aut nihil, aut parum cogitat de relatione operum ex affectu charitatis, denique servando legem Dei ex ipso fine intrinseco virtutis homo fit magis justus, ut ex Concilio retulimus; ergo et magis merens vitam æternam, quia hoc sequitur ad majorem justitiam.

VII. Opposita sententia, ut communis ita et vera est, eamque esse unanimem consensum theologorum docet Lorca hic disp. XLVIII, conclusionem III, et ut communem docet eam Suarez late tom. III, de gratia libro XII, cap. X, et plures etiam citati; Montesinos hic disp. XXXVI, quæst. II. Et quod attinet ad D. Thomam in hanc sententiam inclinare dicit Vazquez loco citato capite secundo, affertque testimonium prima parte, quæst. XCV, articulo IV, ubi totam rationem meriti essentialem dicit esse mensurandam ex sola virtute charitatis. Sed manifestissime eam docet quæst. II de veritate, articulo XI ad secundum et tertium, ubi manifeste affirmat quod eum aliquis: « Ordinatur se in Deum ut in finem, in omnibus quæ propter se ipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis, unde in om-

nibus mereri potest, si charitatem habeat, et hoc modo præcipit Apostolus quod omnia in Dei gloriam referantur, » et subdit ad tertium: « Quod referre omnia virtualiter in Deum cadit sub præcepto charitatis, et non solum habitualiter, quia virtualiter referre est agentis propter finem ordinantis in Deum. »

VIII. Et in isto articulo quarto aperte docet: « Meritum vitæ æternæ primo pertinere ad charitatem, secundario ad alias virtutes quatenus imperantur a charitate. » Ubi aperte favet huic sententiæ, quia dicit quod meritum secundario pertinet ad alias virtutes, quatenus imperantur, imperium autem non solum dicit habitualement in hærentiam charitati, sed etiam actualem motionem vel virtualement. Nec contradicit quod 1-2, quæst. XXI, articulo IV docuit ad tertium, quod omnis actus habet rationem meriti, vel demeriti ex ipsa ratione actus. Loquitur enim D. Thomas de actu qui supponit relationem ad Deum ut ad finem, et debet proportionaliter considerari, scilicet quod ratione ordinis ad Deum ut finem naturalem oritur meritum præmii naturalis, respectu vero ordinis ad finem supernaturalem præmium supernaturale, quare semper supponitur motio aliqua ad finem actualis, vel virtualis. Multo minus urget quod citat Vazquez ex quæstione secunda de malo, articulo quinto ad septimum; ibi enim oppositum docet S. Thomas, nam inquit: « Quod non omnibus actus procedens a voluntate informata charitate est meritorius, si voluntas pro potentia accipiatur, sed verum est quod omnis actus, qui est ex charitate, est meritorius: » ubi nostram sententiam clarissime docet.

IX. Fundamentum sumitur ex Scriptura, et patribus, et ratione, nam loca ipsa quæ Vazquez pro se citat, si recte inspiciantur faciunt

pro nobis, et ita simul ponderando illa solvemus quæ in oppositum afferuntur. In locis ergo Scripturæ ita promittitur merces, et præmium bonis operibus, quod etiam additur illa conditio si fiant in nomine Christi, vel propter Christum, aut in gloriam Dei, quæ omnia relationem aliquam saltem virtualement in Deum, ut finem designant, ut constat ex eisdem locis, ut Lucæ IX: *Qui recipit unum ex his pusillis in nomine meo, me suscipit*: et Matthæi XIX: *Omnis qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem propter nomen meum, centuplum accipiet, etc.* et Marci IX: *Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo quia christi estis, non perdet mercedem suam.* Ubi satis clare Dominus explicavit quo motivo debeat fieri bonum opus ut mercedem accipiat, scilicet quod detur in nomine Christi, et quia summus christi: qui ergo ex hoc motivo non facit opus misericordiæ non habebit mercedem illam. Unde Theophylactus super hæc verba Marci, et etiam Chrysostomus ut citatur a D. Thoma in catena, inquit: « Non pretium dati sed dignitas accipientium, et affectus dantium facit opus dignum mercede. » Requiritur ergo affectus, et non solum habitus charitatis. Expressius S. Leo papa sermone septimo quadragesimæ explicans illud Matth. XXV: *Quamdiu fecistis uni ex minimis, mihi fecistis*: « Quid, inquit, hoc opere fructuosius? Quid hac humanitate felicius quæ utique laude sua fraudanda non esset, si propter ipsam naturæ communicationem juvando homini ab homine præberetur, sed quia quod non ex fide procedit forte ad præmia æterna non pervenit, alia est conditio operum cælestium, alia terrenorum. » Nomine autem fidei certum est intelligere S. Leonem, fidem vivam, nam fides sine charitate mortua est. Et S. Gregorius papa homil. XXVII

in evangelium: « Aliud, inquit, est quod sponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis dominicis ex charitate debetur obedientiæ: » Et subdit: « Hi nimirum, et proximum diligunt, et tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur, » et loquitur S. Gregorius et Leo non solum de his quæ sunt extra statum gratiæ, sed absolute, et sine aliqua restrictione.

X. Denique confirmatur hæc nostra sententia ex illo Pauli ad Galat. V: *In Christo Jesu, nec circumcisio aliquid valet, nec præputium, sed fides quæ per dilectionem operatur*, et universaliter de omnibus operibus nostris dicitur I ad Corinth. X: *Sive manducatis sive bibitis, sive quidquam aliud facitis omnia in gloriam Dei facite*: et ad Coloss. III: *Omnia quæcumque facitis in opere, et sermone, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi facite*. Ubi in illa particula in gloriam, in nomine, etc. designatur motivum supernaturale, seu relatio in finem ultimum, qui est a charitate; quod non tam sollicite ab Apostolo requireretur si ad meritum nostrorum operum non requireretur.

XI. Et sic solvimus omnia quæ affert pater Vazquez ex Scriptura, quod bonis operibus promittitur merces vitæ æternæ, intelligitur enim de operibus quæ fiunt in nomine Christi, et in gloriam Dei, id est, relata ad gloriam Dei, seu finem supernaturalem, saltem virtualiter. Unde etiam ipsa patientia martyrii quæ est ex maximis operibus bonis, non coronatur nisi ratione dilectionis, dicitur enim Jacobi: *Beatus vir qui sufferit tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*: ubi promissio mercedis non fit patientibus, sed diligentibus.

XII. Secundo, possumus pondera-

re loca ipsa Concilii Tridentini quæ affert Vazquez pro se, sed revera faciunt in nostrum favorem, nam in illa sessione VI, capite X, expresse docet, quod: « Crescunt justi in justitia, cooperante fide bonis operibus. » Fides autem non cooperatur, nisi per iudicium supernaturale, ergo intelligit Concilium opera justorum non mereri, nisi respiciendo motivum supernaturale a cooperatione fidei præstitum. Similiter in capite XVI, cum dicit quod: « Sine virtute quam Christus jugiter influit in justificados non possunt eorum opera esse grata Deo, et meritoria, » nomine virtutis non intelligit gratiam habitualement tantum, sed etiam actualem motum, et auxilium, dicit enim quod: « Virtus ista antecedit, comitatur, et subsequitur bona opera, » quod solum pertinet ad gratiam actualem operantem, et cooperantem. Sola autem conservatio gratiæ habitualis compatitur cum peccatis venialibus, ad quæ nullo modo influit Christus virtutem antecedentem, et comitantem; ergo non loquitur de sola conservatione gratiæ justificantis. Hoc autem actuale auxilium quod influit Christus in justificados, cum sit auxilium proprium Christi, et ordinatum ad vitam æternam, sine dubio supernaturale auxilium est et motivum supernaturale respicit, quia dicit ibi Concilium nos mereri operibus Deo factis, ubi designatur motivum operum sicut quando dicuntur fieri in nomine Christi, id est, ex motivo Christi, ut omittant quod apud patres et Concilia opera bona simpliciter vocantur quæ sunt supernaturalia, non quæ sunt ex virtute acquisita. Unde dicit Augustinus libro de spiritu et littera, capite XIV: « Mandatum non servari nisi fiat ex amore justitiæ, non enim fructus est bonus qui de charitatis radice non surgit: » et libro de more Eccle-